



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton


Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXVIII. Milites inter sese vestimenta Christi partiuntur, & de
iisdem sortes mittunt. Argumentum pro lusoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Duegenius Hispanus in Speculo tristium cap. 1. de viro divite, cæte-
 roquin bono & modesto, sed pauperum osore, quorum rogantium
 clamorem ne deberet audire, in remotiore ædium suarum conclavi
 solebat habitare. Illuxit tandem suprema dies, & cadaver amplo fu-
 nere in templum infertur. Interim ad Sacrum se parat Sacerdos, &
 dum illud solenne decantat: *Dominus vobiscum*, toties imago Crucifixi
 Domini in ara exposita luculentò prodigiò visa est manus suas clavis
 eximere, & utramque obturare aurem, velut indignaretur preces pro
 defuncto oblatas excipere. Cùm verò Psalmus de profundis recitare-
 tur, ad illa Sacerdotis verba: *Fiant aures tua intendentes*, formidabilis
 vox ab eodem crucifixo emanavit: *Non exaudivit, non exaudiam*. Ecce
 quam verum sit illud Jacobi: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit* Jacob. 2. 13.
misericordiam. Audite hoc divites omnes, avari & rerum tenaces, qui
 ob amorem crucifixi JESU nullam pauperum curam habetis; audite,
 inquam, Judicem vestrum tonantem: *Propter miseriam inopum & gemi-* Psal. 11. 6.
tum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Econtra Beatus, qui intelligit su- Psal. 40. 2.
per egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Proinde I.ue. 16. 9.
fasite vobis amicos.



CONSIDERATIO LXVIII.

Milites inter se vestimenta Christi par-
 tiuntur, & de iisdem sortes mittunt. Argumen-
 tum pro lusoribus.

Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.
 Jo. 19. 24.

I.

SAra matrona pientissima non poterat tolerare, quòd Ismaël filius
 Agar Ægyptiæ cum Isâac filio suo luderet, unde instanter petiit,
 ut Abraham ancillam hanc, & filium ejus è domo expelleret:
Estce ancillam hanc & filium ejus. Quod & ipse DEUS per expressum Gen. 21. 9.
 mandatum ratificavit: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo, cui*
dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia
Gintber Unus pro omnibus. Kk qua

qua dixerit tibi *Sacra*, audi vocem ejus, quia in *Isaac* vocabitur tibi *semen*. Ecce ludus & lusus jam tunc temporum intervallo piis mentibus fuerunt of- fendiculo, dum propter lulum *Ismaël* à paterna domo eiectus est.

Ubi in deserto ab *Israëlitis* in absentia *Moyſis* ab *Aarone* vitulus aureus erectus est, ut à populo adoraretur, mox observat Scriptura: *Exod. 32. 6.* *Et sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Ecce pro vitulo, & cum vitulo vitulati sunt *Israëlitæ*. Observa: dæmon in hoc vitulo aureo per lufos honorari, ac venerari voluit. Erectus est *Christus Dominus* in cruce, & quidem à militibus luforibus; & quid fecerunt? *Matth. 27 25.* *Postquam autem cruc fixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* Videamus plura de isto ludo & luforibus *Christi* crucifixoribus.

2. Vates *Regius*, divino illustratus spiritu, multis ante sæculis *Christi* prævidit passionem, unde eam psalmo vigesimo primo emphaticè aureo suo calamo expressit, ubi inter alia etiam annotavit: *Psal. 21. 19.* *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Nota, Lector prudens, rem post mille annos, & quod amplius futuram, tanquam præteritam ob infallibilem eventus certitudinem enuntiavit; voluit enim pro nobis *Christus* pati tam indigna, ut nihil in ipso esset, quod non cederet illi in opprobrium & tormentum. Collige hic sensum *Dolorosissimæ Virginis & Matris Dei* juxta crucem *Filii sui* stantis, & suismet intuentis oculis, quomodo tunica illa & amictus, quem illa propriis confecerat manibus, tam indignè à canibus tractaretur: *Ab baccine*, pensabat in animo suo non sine uberrimis lacrymis; *Gen. 37. 33.* *est tunica Filii mei, nunc video adimpletum illud: Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.*

3. Fuerunt autem tres *Christi* vestes. *Prima*: Tunica interior & inconsutilis, loco camisæ, corpori in modum subuculæ adhærens, & applicata, atque à *B. Virgine Matre* acu ex lana contexta, quæ cum *Christo* crescente crescebat, uti quondam in deserto per 40. annos creverunt vestes peregrinantium *Hebræorum*, quæ tunica hodie *Treviris* in violaceum nigrescens, quamvis color propter vetustatem vix dignosci queat, religiosè asservatur, & visitur. *Secunda* vestis erat toga exterior vinei coloris, hoc est subrubri, ex lana seu panno non pretioso, honesto tamen, & quia mitissimus *Dominus* in passione sua, velut inutile pecus, hinc inde reptatus est, vestimenta illius per sputa & lutum conspurcata sunt, quæ nihilofeciùs milites lufos & *Christi* interfectores sub furca in quatuor partes diviserunt: *Fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* *Tertia* vestis erat pallium pariter ex lana cærulei, seu potiùs violacei coloris, ad talos usque demissum, in quo ex quatuor angulis fimbriæ erant assutæ; & hoc pallium, prout rectè

rectè observat Lucas Burgensis in apprehensione & captivitate à militibus direptum fuit; non enim probabile est, cum Christus flagellatus, spinis coronatus, & ad mortem crucis condemnatus est, quòd adhuc pallium illud ad locum supplicii gestaverit. Solæ igitur superfuerunt tunicae, quæ milites inter se partirentur, & pro quibus sortem mitterent.

4. Dicebant autem de tunica interiori & inconsutuli: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.* Quæres hic, cur lictores tantoperè æstimaverint has Christi vestes? R. Procopius: *Mulier illa, qua attigerat simbriam vestis Salvatoris, sanata est, erat enim peculiaris quadam virtus in ipsa.* Nimirum ob eandem causam inter se contenderant milites singuli, cupientes & divisa habere, quasi utilis foret non ad induendum, sed quia vis quadam medicata in ipsa erat. Ecce lusores, spectante Jesu jam in cruce agonizante, lucrum & suum quærebant interesse, & sic remunerationem bonam à populo, ideò tam avidè ludebant pro Christi vestibus; quæ res tanti visâ est Evangelistis, ut nullus hunc lusum militarem tacuerit, qui ubi nil auri aut pecuniæ ab hoc crucifixo invenissent, impetum in ejus vestes fecerunt, sperabant enim non parvo eas pretio vendendas. O impii lusores & crucifixo Domini nostri Jesu Christi; quibus similes sunt Simoniaci, qui non Christum, sed se ipsos quærunt: *Meum ac tuum, frigidum illud verbum.*

5. Cæterùm inter passionis Dominicæ instrumenta non immeritò collocantur taxilli & denarii, quibus venditus est Christus; quot enim etiamnum sunt, qui inter ludendum, ubi fortuna non favet, Christum non minus abnegant, quàm carnifices, qui in monte Calvario illum crucifixerunt? Talis fuit ille miles Gennezani in territorio Romano sub Paulo III. Pont. Max. qui infelici lusu chartarum cum omnia perdidisset, horrendum in modum blasphemans DEum, Christi crucifixi imaginem in altari collocatam pluribus vulneribus gladio suo sauciavit, ex quibus sine mora ingens sanguinis copia promanare cœpit, quod portentum videntes cæteri milites collusores sacrilegum hunc luforem, ut iratum Numen aliquo modo placarent, in minutissimas partes dissecuerunt; ensis verò illius impiissimi Christi percussoris adusque hæc tempora miraculosè retortus in sacris illis ædibus conservatur. O quàm verum est, quod de ejusmodi lusoribus subjungit S. Antoninus Archipræsul Florentinorum: *In nullo exercitio ita frequenter blasphematur Deus, & rota curia cælestis, ac in ludo.* O quod ex lusu proveniunt scelera!

6. Vis plura exempla? Moguntia extra muros in templo S. Crucis celebratissima est illa Crucifixi Salvatoris nostri Effigies, quæ una cum imagine SS. Matris dolorosæ & S. Joannis Evang. sub cruce standæ in Palæstra decatum, à quodam impio helluone & lusore, cui nomen Schellkropff

Luc. Burg. hic
in Matth.

Jo. 19. 24.

Procop. in
28. Gen.Mansi to. 3.
tr. 46. n. 5.S. Antonin.
Sum. Theol.
p. 2. t. 1. c. 23.
§. 6.Sandæus in
Palæstra decatum
de 1. §. 5.

(quia in taberna taxillorum & chartarum lusu omnem suam pecuniam perdidit) abominandum in modum sacrilego gladio vulnerata, ex inflicto vulneribus, & resecto capite copiosum profudit cruorem, quod attestantur adhuc hodie subscripti Versus.

*Continuò Christi caput à cervice resectum
Abstulit ense ferox: ater, miserabile visu!
Exilit ligno cruor: ut cum viva satellites
Corpora decollat, præciso sanguine vene
Exundant, animamque vomunt, largumque cruorem.
Nec tua te Virgo pietas, quæ protegis orbem
Protexit. Ferrum Crucifixi à cade cruentum
In te convertit scelerati dextera Schellkropff,
Roboremque caput rigido petit impius ense.
Protinus hoc etiam manat de stipite sanguis &c.*

Mitto cætera. Spondanus in Ann. Eccl. anno 1383. ubi hæc facta sunt, addit, quòd hic sacrilegus lusor ad miraculum attonitus, cum pedem ex sacra æde efferre non posset, à supervenientibus captus, Merguntiam ad carceres perductus, & vivus ignibus combustus fuerit. Proinde rectè Isaias Propheta de ejusmodi farina hominibus ac sceleratis lusoribus jam suo ævo prædixit: *Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui oblitus estis montem sanctum meum, qui ponitis fortuna mensam, & libatis super eam. Numerabo vos in gladio &c.* Supra quæ verba S. Antonius Archiepiscopus: *Ponunt, inquit, mensam fortuna, qui ludunt, exponentes se fortuna, sive per taxillos ludendo, sive per chartas, & isti feriuntur gladio divina ultionis in inferno.* Imitemur potius S. Tobiam Seniore, qui de se ipso testatur: *Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me prabui: Sed potius sit lusus ac amor noster*
JESUS & hic crucifixus.

Isa. 65. 17.

S. Antonin.
p. 2. Tit. 1.
c. 23. §. 8.

Tob. 3. 17.



CON.